



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Punct. I. Quid sit discursus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

ubi asserit voces immediatè significare res, & mediatè rerum conceptus. Posset etiam admisso antecedenti, consequentia negari, quia ad hoc ut vox aliqua significet aliquod obiectum, & sit signum proprium illius, non sufficit ipsam ducere in cognitionem talis obiecti, sed necessum est ordinatam fuisse ab illo, qui voci significationem imposuit ad tale obiectum manifestandum, cum autem hæc vox homo non fuerit ordinata ab auctore linguæ Latinæ ut duceret in cognitionem conceptus hominis, sed in cognitionem ipsius hominis, hinc fit tantum significare hominem, etsi æquè duceret in cognitionem hominis, & in cognitionem conceptus hominis.

9 Obiicies secundo: Voces non significant, nisi mediis conceptibus: ergo immediatè significant conceptus. Antecedens probatur: si non præcessissent conceptus prolationem vocum, voces nihil significarent quia non possent proferri ex intentione manifestandi id, quod conceptum non erat: ergo significant mediis conceptibus. Respondeo voces significare mediis conceptibus, à quibus virtutem significandi desumant tanquam à principiis, non verò mediis conceptibus significatis ut obiectis, supponitur enim existentia conceptus ut vox rem significet, non tamen supponitur conceptus significatus, ut vox significet rem. In hunc sensum interpretor P. Rubium asserentem lib. 1. de interpret. quæst. vnica, voces significare conceptus ut quo & res ut quod.

10 Obiicies: voces substituuntur loco conceptuum: ergo primariò significant conceptus. Concedo antecedens, & nego consequentiam, imò ex eo quod voces substituuntur loco conceptuum, infero id præstare voces exterius, quod interius conceptus: & sicuti conceptus internè res immediatè exprimunt, sic voces externè easdem immediatè significant.

11 Obiicies quartò: Si voces non significarent conceptus, nullum daretur mendacium, hoc enim consistit in eo quod voces significant conceptus distinctos, ab his per quos intellectus fert iudicium de re significata. Respondeo negando sequelam, & rationem adductam, in illius confirmationem. Mendacium enim consistit in eo, quod proferantur voces impostæ ad significandum rem alio modo se habentem, quàm ab intellectu iudicatur: seu in eo, quod proferantur voces, quæ substituta non sint iudicij, quod habet intellectus, sed alijs quod non habet.

12 De scriptura eodem modo ac de vocibus ferendum est iudicium, significant enim immediatè res ipsas, & non voces, quando enim epistolam amico scribo, non intendo illum certiorum facere de vocibus, loco quarum scripturam substitui, sed de rebus, vocibus, & scriptura significatis. Confirmatur: sicuti voces substituuntur loco conceptuum, ita scriptura substituitur loco vocum: ergo sicuti voces non significant immediatè conceptus, sed res, ita scriptura non immediatè res, sed voces significabit.

13 Obiicies ex Arriaga disp. 13. sect. 2. etiamsi quis perfectè sciat legere linguam Græcam, vel Hebræam optimèque cognoscat illarum characteres, res non cognoscat, si vocum significationem non cognoscat: ergo scriptura seu characteres non immediatè res, sed voces significant. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ratio enim propter quam ignorans vocum significationem, & characteribus res non cognoscat, non est, quia characteres immediatè significant voces, sed quia eo ipso quod ignoret significationem vocum, ignorat significationem characterum, quia his non alio modo imposita significatio quam dicendo hi characteres hoc ordine scripti HOMO idem significant quod significat hæc vox homo, ac proinde si nescimus quid vox significet, nescire possumus, quid characteribus veniat significandum.

14 Obiicies secundo. Si respublica diceret, hæc vox homo significet lapidem: & non animal rationale, nulla variatione facta in scriptura variaretur significatio mediata scripturæ, & non immediata, quia semper significaret eandem vocem, & eodem modo scriberetur: ergo scriptura non significat immediatè rem, sed vocem. Respondeo in prædicto casu variandam esse significationem immediatam scripturæ, quæ semper est circa rem, & nunquam circa vocem, quia statutum est ut hi characteres HOMO idem immediatè significant, quod immediatè significat hæc vox homo, ac proinde ex eo præcisè quod variaretur significatio vocis variaretur significatio scripturæ circa

idem obiectum. Ex hoc inferes significationem scripturæ circa rem supponere significationem vocum, non verò voces ipsas ut prius significatas, sicuti de vocum significatione circa res diximus supponere conceptus significantes easdem res, non verò conceptus ipsos ut prius significatos.

CONTROVERSIA IX.

De natura syllogismi seu discursus.

DE natura discursus seu syllogismi egit Aristoteles lib. de priori resolutione, ideo præsentem Controvertiam hic instituo, licet illius materiam propriis ad Animalisticum, quàm ad Logicum pertinere non inficias ibo. Quæ pertinent ad structuram & dispositionem terminorum quibus syllogismus, seu discursus efficitur, explicavi Controu. 4. Summularum, nunc verò exactius illius essentia, aliisque proprietates examinabo.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid sit discursus.

DISCURSUS dicitur sumptâ metaphora ab animalis motu, quod cum ex vno loco alium petit dicitur discurrere per illa loca, quæ excurrit. Sic intellectus mentaliter progreditur ab vno obiecto, cui per hanc cognitionem adhærebat, sicut animal loco per præsentiam, ad aliud obiectum, cui incipit adherere per aliam cognitionem, sicut animal incipit præsentari alij loco per præsentiam aliam. Secundum hanc metaphoram discursus ab Scoto definitur apud Conimbricenses in Prior. cap. 1. quæst. 2. art. 1. *Progressio intellectus ab vno obiecto in aliud.* Conimbricenses verò discursum definiunt, *Progressio intellectus ab vna cognitione in aliam.* Amplector definitionem Conimbricensem, quæ propriissimè conuenit formali discursui, definitio enim Scoti conuenit etiam discursui virtuali, ex vi cuius intellectus progreditur ab vno obiecto in aliud ut n. 2. explicabo. Dices, si vna & alia cognitio idem referant obiectum, intellectus potius siltare, quàm currere dicitur: ergo discursus, ex vi cuius intellectus currere dicitur ex vno in aliud, non est progressio intellectus ab vna cognitione in aliam. Ipsamet obiectio propriis visceribus solutionem sui ipsius includit, si enim quando vna & alia cognitio idemmet obiectum representant, intellectus siltat, & non currit, tunc non dicitur progredi, neque illa cognitionum successio poterit progressio dici: ergo progressionis nomē dicit tales cognitiones debere representare distincta obiecta, vel idem ut distinctum à se ipso ex diuerso modo representandi. Adde nunquam intellectum ex vna cognitione deuenire in cognitionem aliam circa idem obiectum eodem modo representatum, quia nulla cognitio inclinatur, neque determinatur intellectum ad aliam eiusdem omnino rationis, quia cognitio non alio modo ad aliam determinatur, quàm representando obiectum connexum cum alio in re vel in modo representandi, quod eâ ratione, quâ distinguitur ab obiecto primæ cognitionis ex vi cuius per secundam cognoscitur.

Discursus vulgò diuidi solet in formalem, & obiectiuum, qui appellatur virtualis discursus. Discursus formalis est ille, quem modò definiuimus, qui includit multiplicem cognitionem, ex vi quarum dicitur intellectus in vnam & aliam discurrere. Discursus obiectiuus seu virtualis dicitur, cum intellectus ex vno obiecto in aliud per vnicam tantum progreditur cognitionem, quod fit quoties intellectus cognoscit vnum in alio, veluti cum cognoscit obiectum in cognitione, principium productiuum in productione, & alia huiusmodi. Addunt nonnulli discursum obiectiuum, seu virtuale debere esse progressionem ex vno obiecto in aliud, aliunde non cognitum, ut

hac ratione defendant respectu cognitionis diuinæ non dari discursum obiectuum, seu virtuale, etiam si Deus vnum obiectum in alio cognoscat, quia Deus omnia obiecta in se ipsis cognoscit, ac proinde quando progreditur per eandem simplicissimam cognitionem ex vno obiecto in aliud, non progreditur in aliud sibi incognitum, sed aliunde perfectissime cognitum. Rem declarat exemplo animalis, quod non dicitur currere, cum in eodem loco constituitur, per duplicem vocationem, sic neque intellectus dicitur discurre, quando per aliquam cognitionem attingit obiectum, quod per aliam attackum supponitur. Porro exemplum adductum oppositum mihi loquendi modum suadet (de hoc tantum in hac re potest esse dissidium) quia si equus modò esset Matrili, & Toletum, & relicta presentia, quam Matrili habebat, versus Toletum successivè produceret presentias per totum medium, & tandem Toleti aliam acquireret distinctam ab illa, quam prius habuerat, etsi in eodem spatio indivisibiliter sumpto, profecto nullus negaret hunc equum peregrisse eundem cursum, qui diceretur peractus, etiam si tunc primo Toleti præsens fieret, præcipuè cum eademmet esset actio, idem terminus à quo, & terminus ad quem in utroque casu. Quod autem dicatur dari discursum obiectuum, seu virtuale respectu diuinæ cognitionis parum refert, cum hoc non obsit summæ simplicitati cognitionis diuinæ, & tantum sit quæstio de modo loquendi, omnes enim fatemur Deum cognoscere in eodem obiecto obiectum, quod cognoscit in alio, nunquamque ex vno obiecto in aliud incognitum devenire, cum omnia in se ipsis illi sint notissima, quod tantum de re est. An verò respectu cognitionis in alio obiecti aliunde cogniti dicendum sit dari obiectuum discursum, necne, quæstio est de modo loquendi.

3 Diximus discursum esse progressionem ex vna cognitione in aliam, ex quo oritur dubitandi ratio, an progressio possit esse à simplici enunciatione, vel an debeat esse à duplici in alia, ita ut discursum necessarîo triplicem claudat enunciationem. Respondeo discursum semper constare tribus propositionibus formaliter, vel virtualiter distinctis. Virtualiter distingui dicuntur propositiones, quando simplex qualitas propositionis totum id enunciat, quod duabus aliis distinctis enunciaretur, veluti cum totum hoc obiectum, *Omnis homo est animal, Petrus est homo* per simplicem qualitatem, seu cognitionem representatur. Ratio propter quam tres propositiones saltem virtualiter distinctæ requirantur, est quia in præmissis medium debet coniungi cum duplici extremitate, & de utraque enunciari, quod dicit obiectum ex se aptum terminare duplicem distinctam enunciationem, ad quod si simplex terminetur enunciatio, virtualiter duplex erit, quia terminatur ad obiectum aptum terminare duplicem enunciationem: ergo in præmissis saltem debet dari virtualiter duplex propositio, vel vna, quæ duplici æquivalet, insuper debet dari alia enunciatio, quæ ex præmissis inferatur, & ab illis formaliter sit distincta: ergo discursus involuit in præmissis duplicem propositionem distinctam formaliter, vel virtualiter, & tertiam aliam, quæ ex præmissis inferatur. Non requiritur ex parte præmissarum duplicem enunciationem formaliter distinctam, sed sufficere distinctionem virtualem facile suadet. Quia in præmissis tantum requiritur, ut medium coniungatur cum utraque extremitate, sed potest per simplicem enunciationem medium cum utraque coniungi, nulla enim repugnantia est in eo, quod simplex iudicium attingat totum hoc obiectum: *Omnis homo est animal, Petrus est homo*: ergo potest reperiri ex parte præmissarum vna tantum formalis enunciatio, quæ sit virtualiter duplex, quæ cum alia enunciatione, ex ipsa illata discursum conficiet involuentem duplicem tantum propositionem formaliter distinctam, quarum vna virtualiter est duplex.

4 Obiicies: potest ex duabus extremitatibus vna tantum coniungi in præmissis cum medio, & altera in propositione illata: ergo neque adhuc virtualiter requiritur duplex propositio ex parte præmissarum, sed vna formaliter, quæ neque virtualiter sit duplex, erit sufficiens. Antecedens probatur in hoc discursu: *Omnis homo est animal: ergo Petrus homo est animal*. Respondeo, quod etiam si admitteretur totum quod intendit argumentum, adhuc non inferretur syllogismus non habere triplicem enunciationem virtualem, quia tunc propositio illata virtualiter esset duplex,

hæc enim propositio: *ergo Petrus homo est animal*, virtualiter esset duplex, in has enim resolvitur, *Petrus est homo, & Petrus est animal*. Secundò respondeo hanc propositionem: *ergo Petrus homo est animal*, non posse inferri ex illa tantum *omnis homo est animal*, quia illatio supponit conjunctionem extremitatum cum medio, quam non supponeret propositio illa, cum in se formaliter includeret conjunctionem vnius extremitatis. Ex quo etiam probatur non posse totam illam enunciationem inferri ex priori, quia illa enunciatio: *ergo Petrus homo est animal rationale*, includit conjunctionem vnius extremitatis cum medio, hæc autem non inferitur ex conjunctione alterius, sed utraque coniunctio inter se comitanter se habent, & per modum vnius principij antecedentis respectu enunciationis illatæ, seu inferentis.

Omnes prædictæ enunciationes discursui sunt essentialis, quamcumque enim illarum deficiente, nequit subsistere, potest tamen dici formaliter consistere in enunciatione illata, quia hæc ex sua natura supponit præmissas, sine quibus nequit existere, & ultimo complet naturam discursus. Quod autem nonnulli docent, videlicet syllogismus dicere tantum in recto conclusionem, & in obliquo præmissas, ad quæstionem tantum de nomine spectat, nihil enim in re ponitur, aut inferitur, siue in recto, siue in obliquo, quo præmissæ syllogismum componere dicantur.

6 Obiiciunt nonnulli ex Aristotele dicente per discursum generari scientiam, & opinionem. Scientia, & opinio generantur per discursum: ergo supponunt discursum. Sed scientia, & opinio sunt conclusiones illatæ: ergo hæc supponunt discursum: ergo non pertinent ad constitutionem discursus: ergo tota ratio discursus sita est in præmissis, quæ ad conclusionem supponuntur. Respondent nonnulli per discursum generari scientiam, & opinionem habituales, ad quas non solum præmissæ, sed etiam conclusiones supponuntur. Alij affirmant per discursum generari scientiam, & opinionem, quia per alteram partem discursus, videlicet per cognitionem præmissarum, acquiritur altera videlicet cognitio conclusionis, quæ propriè scientia seu opinio dicitur. Uterque dicendi modus satis probabilis est, parumque refert hunc, vel alterum amplecti.

7 Discursus est duplex, quidam à priori seu propter quid. Alius à posteriori, seu quia. Discursus à priori, seu propter quid dicitur, cum ex cognitione causæ ad effectus cognitionem gradum facit intellectus. Discursus à posteriori, seu quia, appellatur cum ex cognitione effectus ad causæ cognitionem intellectus regreditur. Huic solet adiungi discursus alius, in quo neque ex cognitione causæ effectus cognitionem inferimus, neque ex cognitione effectus causæ cognitionem deducimus, sed ex aliis rebus connexis cum illo, quod inferitur, veluti cum ex visione inferimus extrema vnita, ex relatione relationis terminum, & sic in aliis. Discursus iste ex adiunctis, seu discursus per medium extrinsecum solet appellari. Itaque discursus potest diuidi in discursum à priori, seu propter quid, & discursum à posteriori, seu quia, & discursum ex adiunctis, seu per medium extrinsecum. Potest etiam adequatè diuidi in duo priora membra, si discursum à posteriori, seu quia appellemus discursum omnem, ex vi cuius effectus per causam non ostenditur.

8 Volunt nonnulli distinctionem reperiri inter discursum, & syllogismus, ego tamen illam nunquam callui, sicut enim syllogismus dicit præmissas, in quibus duæ extremitates coniunguntur cum medio, & ex ipsis inferitur cognitio, quæ eadem extremitates inter se coniunguntur, sic discursus formalissimè easdem præmissas, eandemque conclusionem illatam importat. Rationes disparitatis, quæ vulgò assignari solent nullius sunt momenti.

9 Prima est, syllogismus reperiri in vocibus, in quibus discursus non invenitur. Hæc disparitatis ratio reiecitur, quia formalis syllogismus tantum reperitur in conceptibus, voces enim tantum sunt conceptuum signa, quod autem vulgò non dicantur discursus vocalis, sicut dicuntur vocalis syllogismus voces respondententes conceptibus, in quibus formalis syllogismus, & discursus à syllogismo formali nulla ratione est distinctus, ideo est, quia nomen discursus expressius significat actum internum intellectus formaliter ut internum, & ita non propriè transferri potest ad voces respondententes actui interno principaliter significati.

significato. Secunda differentia solet assignari ex eo, quod syllogismus semper dicit duas praemissas, & discursus vnicam tantum saepe contentus est. Ceterum si sermo sit de syllogismo, & discursu formalibus, quos non distingui debendo, sicuti syllogismus necessario dicit duplicem praemissam, saltem virtualiter distinctam, sic discursus eandem distinctionem virtutem praemissarum necessario exposcit & sicuti discursus non requirit duplicem praemissam formaliter distinctam, sic syllogismus internus simplici formalis praemissa, dum haec virtualiter sit duplex, contentus est. Quod si syllogismus vocalis duplicem praemissam formaliter distinctam exposcat, hoc ad rem non attinet, non enim comparandus est vocalis syllogismus cum discursu mentali, hos enim inter se distingui certum est, sicuti distinguuntur syllogismus mentalis, & vocalis. Ratio vero propter quam syllogismus vocalis duplicem praemissam formaliter distinctam exposcat, est quia non invenitur enunciativae vocalis, quae aequivalet duabus, quas syllogismus exposcit, non enim datur propositio vocalis quae his duabus aequivalet, *Omnis homo est animal, Petrus est homo*, quod si datur, poterit etiam syllogismus vocalis constare praemissa formaliter simplici, quae virtualiter duplex sit, ex qua tantum inferatur conclusio.

10 Tertium discrimen peti solet ex eo quod syllogismus potest constare ex praemissis evidenter falsis, seu cognitis ut falsis, non vero discursus. Ceterum si de syllogismo tali sermo fiat, nullo modo potest praemissis cognitis ut falsis constare, nunquam enim intellectus cognoscens has propositiones esse falsas, *Omnis equus est rationalis, Omne binnibile est equus*, movebitur ad inferendum: ergo omne binnibile est rationale, sine qua illatione syllogismus internus non subsistit, sicuti neque discursus. Syllogismus vocalis poterit constare propositionibus cognitis ut falsis, quia voces possunt esse eadem, siue illorum obiecta hac vel illa ratione cognoscantur, conceptus vero longe sunt diversi quando obiecta diversa ratione, hoc est, vera aut falsa cognoscuntur. Quartum discrimen solet adduci, quod syllogismus includit praemissas & conclusionem in recto, discursus vero tantum includit in recto conclusionem, & praemissas in obliquo. Discrimen istud non alia ratione impugnandum est, nisi quia omni ratione est destitutum. Concludo ergo syllogismum mentalem & discursum in nihilo differre, sed tantum differentiam in his vocibus *syllogismus*, & *discursus* reperiri petitam ex eo, quod vox syllogismus significet syllogismum internum indistinctum a discursu, & simul se extendat ad significandas voces respondentes syllogismo interno, quae syllogismus vocalis dici solent; vox vero discursus tantum significat discursum indistinctum a syllogismo interno, & non se extendit ad significandas voces respondentes discursui, quia haec non dicuntur discursus externus, sicuti dicuntur syllogismus externus voces respondentes formali syllogismo.

PUNCTUM II.

An requiratur ad assensum conclusionis procedens cognitio de bonitate illationis.

1 Dplex est illatio, formalis & obiectiva. Illatio formalis est assensus conclusionis ex praemissis deductus. Illatio obiectiva dici solet connexio obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis. Non procedit difficultas de illatione formali, certum enim ad assensum conclusionis non praequiri cognitionem reflexam praemissarum formalium, neque ipsius conclusionis formalis ac proinde nec connexionis inter hos assensus, non enim potest dari cognitio cognitionis inter assensus, quae non sit cognitio assensus, qui sunt extrema huius connexionis, eo enim ipso quod cognoscantur obiecta praemissarum, & conclusionis datur discursus absque ulla cognitione reflexa. Procedit ergo difficultas de illatione obiectiva, hoc est de connexione inter obiecta praemissarum, & conclusionis.

2 Ceterum haec obiectiva connexio nihil aliud est, quam identitas obiecti praemissarum, cum obiecto conclusionis, non enim obiectum praemissarum causa est obiecti conclusionis, sicuti praemissae formales sunt causae conclusionis formalis, sed cum illo identificatur, & in hoc sensu dici-

mus habere connexionem, sicuti dicimus connecti rationale cum animali. Quod si nimis scrupulosus noluisset identitatem connexionem appellare, tecum non contendam, sed a te petam an debeat praecognosci ad assensum conclusionis identitas obiecti ipsius conclusionis cum obiecto praemissarum, cuius solutionem exposcit difficultas, quam modò exagitemus.

3 His positis adhuc amplius debet explicari status difficultatis, potest enim dubitari an haec identitas praecognoscenda sit per actum iudicativum, vel sufficiat per simplicem apprehensionem cognosci. Rursus si dicatur praequiri simplicem apprehensionem huius identitatis, seu connexionis obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis, adhuc restat sciendum, an haec simplex apprehensio ex eo tantum requiratur, quia iudicium in quo formalis conclusio sita est hanc identitatem seu connexionem attingat tanquam proprium obiectum, & omne obiectum iudicii debeat prius simplici apprehensione pertingi, vel speciali titulo discursus, haec praenotio apprehensiva requiratur, ut possit inferri conclusio. Dicere, an apprehensio illationis debeat praecedere conclusionem, quia conclusio est formale iudicium de illatione, & apprehensio debet iudicium praecedere, duo involvit. Primum conclusionem esse iudicium de illatione, quod hic examinare debemus: Secundum, debere supponi simplicem apprehensionem ad omne iudicium, quod hic definitum non est, sed cum agitur de natura apprehensionis, & iudicii, quod praestabo Controv. 5. de anima Punct. 2. Haec ita placuit praenotare ad intelligentiam questionis, quia apud nonnullos eam valde confusam lego, quia de his distinguendis non cogitarunt.

4 Affirmo cum Hurtado disp. 7. de anima sect. 5. & Arriaga disp. 13. Logicae sect. 3. ad assensum conclusionis nullum aliud iudicium praecedere praeter assensum praemissarum. Probanda est conclusio ex eo quod non apparet necessitas assignandi aliud iudicium conclusionem praecedens, neque fundamentum est, quo moveamur ad constituendum tale iudicium. Secundò quia per se notum est esse eadem inter se, quae sunt eadem vni tertio: ergo eo ipso quod intellectus videat haec extrema esse eadem vni tertio erit determinatus ad iudicandum esse eadem inter se. Sed praecise ratione praemissarum noscitur extremitates identificari vni tertio: ergo est determinatus ad iudicandum identificari inter se. Probat haec ratio non solum non requiri aliud iudicium ante conclusionem sed etiam ex natura discursus non requiri aliquam apprehensionem praecedentem iudicium conclusionis. Dixi non praequiri apprehensionem ex natura discursus ad assensum conclusionis, ut abstraherem ab opinione, quae asserit ad omne iudicium necessario supponi apprehensionem de obiecto iudicato, quae si vera sit conclusio supponet ex praedicto communi iudicii apprehensionem de obiecto, in quod fertur, quod iam explico.

5 Duplex est opinio circa obiectum conclusionis, quaedam affirmat conclusionem non attingere obiectum praemissarum, sed tantum proprium obiectum, alia asserit conclusionem indissimiliter attingere obiectum illatum, & obiectum praemissarum tanquam obiectum formale quo. In sententia quae asserit conclusionem non ferri in obiectum formale praemissarum, conclusio non attingit identitatem obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis, quae est obiectiva illatio. Ratio est facilis: non potest attingi identitas extremorum, quin attingantur extrema, in quibus versatur identitas: ergo si per conclusionem non attingitur alterum extremum videlicet obiectum praemissarum, non poterit attingi identitas talis obiecti cum obiecto conclusionis formalis. Ex his inferitur ex nullo capite secundum hanc sententiam praequiri apprehensionem de illatione obiectiva, seu de identitate obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis ad assensum conclusionis. Non ex natura speciali discursus ut dicebam n. 4. non ex eo quod apprehensio semper praecedat iudicium, quia etiam hoc verum esset, iudicium conclusionis non respicit tanquam obiectum talem identitatem, ut modò ex principiis huius sententiae euici.

6 Iam in sententia affirmante assensum conclusionis attingere per se ipsum obiectum praemissarum adhuc affirmo conclusionem non attingere enunciativè illationem obiectivam, seu identitatem obiecti conclusionis cum obiecto praemissarum, ita ut ex vi illius dicat intellectus, hoc est idem cum illo, seu hoc inferitur ex illo. Haec conclusio est contra Arriagam supra n. 8. illam tamen tradidit N. Smigle